

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LXXVI. Venetum Regimen

urn:nbn:de:bsz:31-102564

Scribanius, vir prudens, et hanc viam non sine laudis vestigio emensus. Supervacuum de aliis referre. Passim obvia Campanellae et similium consilia.

§. XXIV. Nil suppetit, quod addamus. Si non omnia diximus, certe acstivimus, quid posset dici. Reliqua publice nota sunt, ac gentium legibus asserta. De Italia auctor Caepolla est, in insulas flumina, ripas iure imperii contineri. De Gallis Hispanisque idem exploratissimum est. Lusitani, Dani, Svedi, Poloni, Molchi, Veneti, Genuenses, Batavi veteres illi ac recentes iisdem finibus fluvios suos insulasque metiuntur. Quod de Imperio Romano recitat Seldenus, non hausit ex intimiori Reipublicae Germanicae statu, l. I. cap. XXI. mar. Claus. Derogat fere Ordinum Privilegiis, derogat territoriorum potestati. Sunt sua Caesari iura, sed iis limitibus includenda, quos praefigunt imperii leges. Ad vetustissimas illas Graecorum Respublicas redire, nec tempori, nec destinatis nostris opportunum. Speculi vice fungetur Seldenus. His addere licet Iul. Pacii, Iac. Godofredi, Martini Schockii dissertationes.

LXXVI. VENETVM REGIMEN.

Nitium Venetiarum tenue fuit. (a) Incrementa amplissima, successus plane singularis, et stupendus posteritati est.

(a) *Primum fundata circa Rivum altum est. Hinc celebris V. V. Scriptoribus Origo Rivalina, tanquam primus natalium Urbis Character. Quamquam vero initia Urbis parva, Conditores tamen et Habitatores illustres fuerunt. Recte Blondus in descript. Urb. Ven. Civitas Veneta, inquit, non a Pastoribus, sicut Roma, sed a Potentioribus ditioribusque regionis olim a principio habitata, Atque id satis ex Cassiodoro innotescit. Caeterum condita Urbs ante Aetiliae adventum est. Ad stipulatur Sabellicus. Dissentiant vulgo, Itali ipsimet. Conf. Francisc. Bernard. Agripp. Min. p. 319. Vnum addo de ratione Vocis. Notione numerandi singulari totus maris Adriatici tractus designatur. Notione et, quas alioqui ad denotanda plura imposita rebus est, Urbs sola signatur.*

§. II. Civitas sine muris, sine portis: palis et paludibus (b) innixa: sita in mediis undis, undarum non timet fluctus.

(b) *Nempelacuna atque aestuaria Adriatici maris veme asylum libertatis facta. Ordinantium hoc Factorum opus, non hominum tantum.*

§. III. Italiam perhibent Europae Centrum, (c) quorum labor in pulvere est. Ego Venetias non Centrum Italiae, sed oculum, Italarumque delicias dixerim.

(c) *Manviglia Herm. Coel. p. 162.*

§. IV. Primordia Venetiarum eadem, quae Erphordiae, traduntur. Huc allegantur Thuringici annales, superioribus temporibus editi. Assentitur Petrus Lindebergius, (d) ille Ranzovianae laudis praeco. De origine eque videm Venetiarum non magna superest dubitatio, (e) De Erphordia certe maxima,

M m m m m 2

(d) *Id*

(d) *In comment. rer. memorb. p. 144.*

(e) *Sec. V. A. a N. C. 421. 7. Calend. April. Conf. M. Antonius Sabellicus Rer. Venet. Decad. 1. l. 1. pag. 4. 5.*

§. V. Si situs ingenia format, felix Venetiarum est situs. Gravitas, Fides, Taciturnitas alibi comparantur industria. Venetis ingenerantur.

§. VI. Vegetos quoque Veneti animos, vegeta corpora habent. Duces, Senatores, Cives plurimum longaevi. (f)

(f) *Plerosque eorum enumerat Franciscus Bac. de Ver. Hist. Vit. et Mort. p. 315. Nota sane Francisci Donati Ducis, Thomae Contareni, Procuratoris S. Marci, Francisci Molini, aliorumque nomina*

§. VII. Has dotes natura indulgit. Fortuna certe non minores, Commerciis opes, (g) opibus potentiam, potentia securitatem paravit. Paratam stabilivit.

(g) *Tria felicitatis Venetae momenta apud Sansovinum: grandezza, nobilitas, ricchezza. Vere. In senatu aestimo Maiestatem. In familiis nobilitatem. In Civitate divitias, in aetario thesauros. Verum, ut facete Hispanus ille: thesauri alibi nascuntur. Apud Venetos constantur. Interim conf. Dialoghi Historici dell' Italia. Part. 3. p. 136. Huc spectat vulgare proverbium. Venetia la ricca.*

§. VIII. Senatus quasi Regum est. Senatores Attica Severitate conspicui. Incedentium augusta species, augustus vultus est. (h) Ducis magnus splendor, Potestas Senatus est.

(h) *Auctor Gallus D. T. V. T. de la Republique de Venise. Benjamin Priolus in inscriptione ad Princip. et Remp. Venet. Hic dicere liceat cum illo Romano. Senatus ille? Quem qui ex Regibus constare dixit, unus veram Romani Senatus speciem coepit.*

§. IX. Respublica miraculum inter Respublicas. Stetit supra mille annos. Stabit longius, si stabit Terrarum ille Orbis.

§. X. Haec suis semper Legibus usa, nullius obnoxia imperio, nullius addita iuri fuit. Libera surrexit, libera adolevit. Limitem dices orientem inter et occidentem. Vtrique olim amica, neutri subdita. Subacta armis aliquando, (i) non multo post rediit ad pristinum vigorem. Comitatis saepe edita exempla, (k) civilis obsequii nunquam. Et credo Fata sic voluisse, ut Venetiae essent sui iuris.

(i) *Auct. Vit. Kar. M. subiecta, inquit, Venetia ac ducibus eius in deditio- nem acceptis, etc.*

(k) *Testatur Paulus AEmilius Veronensis l. 3. Venetias medium inter duo imperia cardinem fuisse. Affirmat insuper, Rempublicam utriusque Imperii Maiestatem comiter habuisse, non paruisse. Sequitur AEmilium Petrus Berthautius, nos utrumque.*

§. XI. Provehamur in Continentem. Mare Insulasque relinqvamus ad tempus. Videbimus non eundem utrobique possidendi titulum esse. Transeat imperium

rium Adriatici maris. Transeat dōminium vicinarum Insularum. Afferemus Reipublicae. Vindicabimus, quod suum est. Civitates (l) in continente positas non vindicabimus. Imperio praeter ius ereptae. Imperium reposcet. Et iam olim reposcendi auctor fuit Augustissimus noster Maximilianus.

(l) *De Arminio et Faventia non dissimulat Petrus Bembo, Hist. Venet. l. 6. p. 252. Vellem nibilo secius de Patavio, Tarvisio, Verona, Cremona, Vincentia, et similibus confessus fuisset.*

§. XII. Emensi campum sumus. Redeamus ad mare. Satis spectavimus continentem. Denuo invitat sinus Adriatici maris. In hoc Venetis praesidium, Civitati Venetae firmamentum. Quod quam dictu mirum, tam veritati innixum est.

§. XIII. In civitate primo obvium Civitatis Caput. Dux Venetis (m) appellatur. Cuius praecipua dignitas, maximi honores. Nec sine curis arduum illud munus. Princeps est. Sed nunquam suae spontis: nunquam suarum arbiter actionum. Privatim alloqui suspectum, et prohibitum lege. In consilia eius intenti omnes. Rimari destinata, observare quid agat, iam adulti moris. Non exit, nisi convocetur Senatus. Inclusus palatio: (n) exclusi ab aditu exteri, exterorum legati; Donec amat, amatur a Senatu, donec colit, colitur ipse. Sancit Senatus leges, Dux nomen, titulum legibus praescribit. Sed vero peccare in Rempublicam, Duci capitale. Iam ducentis abhinc annis Dominatio Martini Phalerri expiata morte est. (o) Supervacuum id mirari. Potestas ferendi leges, penes Senatum est, saltem auctoritas penes Principem. Iudicant, iubent, constituunt Senatores. Duci ferme sufficit audire. Seqvi necesse est. Nisi seqvatur, pro hoste habetur. Accusandi et puniendi huius facultas. Rigor iustitiae tantus, ut nec conqviiescat post mortem. Vivum coercere Decemviri possunt. (p) Ab excessu demum examinant Vitam, quam egit, officium, quod gessit. (q) Si sancte habuit Leges; Si rationes administravit, ut respondeant impensis; si impensas fecit, ut respondeant rationibus, sanctum Ducis nomen, praedicatio meritorum ingens, gloria immortalis est.

(m) *A Venetis Dage nominatur. Dux sine imperio civili, princeps sine principatu. Nudus Maiestate, solo honore supremi Magistratus contentus. Vid. Sanson. in libr. sub tit. Venetia, et l. 19. Rep. Vinit. Summatim: Respublica Senatus consultiis regitur, non legibus Principum. Obsequium populi, imperium Nobilium est.*

(n) *Gallus quidam Novitius saturam paene hic affectat, dum scribit. Il est aussi un illustre Prisonnier. Perinde quasi non habitantem in palatio, sed inclusum veluti carceri dicere vellet. Sed parum reverenter loquitur iste Gallus.*

(o) *Cass. Contarenus l. 3. p. 99. de Rep. Venet. Ex eo Kranichf. cap. 7. de ducibus. F. Leander Albertus Marium Falerium vocat in Venet. duc. serie. p. 380. Quod Ducibus, idem Senatoribus venire usu potest. Perit dignitas Senatoris, si peccat. Supplicio vindicatur Exemplum recitat Boxhornius, sed plane imagicum. Vid. Inst. Pol. l. 1. cap. 5. Omitto referre alios. Baiamons Theopolus in exilium actus est, De quo sat proditum literis est,*

Mmm mmm 3

(p) Ord-

(p) Ordinarie Dux interest Collegio Decemvirorum. Accurate si loquar, non praest. Interest autem, donec Reipubl. aestimat bonum. Absit a dignitate, subest collegio Decem, si quid in Remp. moliat. Etiam cum non molitur, habent Illi, quae non communicent cum Duce. Iam constat de Potestate Ducis. Non acciri semper, non participem reddi omnium, quae deliberantur, non ferre deliberantibus leges, multum distat ab Imperio Civili. *V. la Politiq. des Venitiens. Ex historicis sufficiat Cass. Contarenius lib. 3. de Rep. Vener.*

(q) *Vid. Dialogh. part. 3. p. 109. pag. 112. Aliis enim in Rep. inquirendi, aliis corrigendi negotium datum est. Illi excusant vitam, et inquireunt in facta. Hi, an quid mutatum in legibus sit, sollicite circumspiciunt. Mirum, quod post mortem. Si quid peccatum, vindicatur in liberos, vindicatur in propinquos. Quod sane indicio est, Ducem adeo non esse cum imperio, ut quoque vix simulacrum habeat impenantis.*

§. XIV. Excussimus, quae Ducis hodie sit potestas. Vestigemus, quae olim Reperio, qui blandiantur Duci, adversentur Senatui. Ego assentiar iis, qui derogant imperium, etiam ab ultimo tempore Creatorum Ducum. (r) Leges de Libertate cum Venetis natae. Ingenium idem, quod Spartanorum. Si non maius. Si non tenacius aviti moris. Ephoros quaeris? Habe Senatores.

(r) *Primus in Republica Princeps memoratur Paulutius Anafestus, qui Sabellico Paulutius Hemclianus est. Aut. les Ducs et Princes de la Rep. de Venise, pag. 623. Sab. rer. Venet. dec. ad. t. l. 1. pag. 15. Error hic in temporis numero non unus. De anno Christi facile conveniamus licet. Is traditur 697. Videntur Nobilis Gallus D. T. V. T. quem autor seriei Ducum Venetorum fideliter expressit: pag. 372. Additus Editioni Contareni est Lugduni Batarorum Anno 1628. Maior controversia de Epocha creatorum Ducum, ab A. V. C. Refert dubitanter Sabellicus. Et sentire mavult ex mente aliorum, quam sua. Iam 281. iam 297. Mox 276 allegat. Decad. t. l. 1. Hist. Ven. Qui multum Donato Iannotto tribuunt, verum in Republica Principatum viguisse aiunt. Sed exigua apud me auctoritas Iannotti. Thuscus fuit, eoque peregrinus in Venetum rebus. Quod vellem secum reputasset Sabellicus. Multo magis explodendum, quod asserat, post Sebastiani Ziani obitum conversam Regiminis formam. Tabulae antiquae, domestici annales, monumenta proba omnia resinguntur. Sed iam dudum confutatus a Nicolao Crasso Iannottus, ille Florentinus est. Et castigatur sabinde a Theod. Grassvini ckelio in libro, cui titulum praescripsit, Libertas Venem. Nempe mutationes Republicae non in Ducibus, sed ante Duces quaerendae. Primo Consules: Deinde Tribuni: postremo Duces creati. Varietas electionis non variat Republicae formam. Aliquando fortissimum, quod dicitur, valuit. Mox itum in sortes est.*

§. XV. Nondum sistendus est gradus. Praecessit Princeps. Sequuntur Senatores. Horum vestigiis insisto. Via haec ad Civitatis rebus, ad Reipublicae nervum me ducet. Praeclusus hic aditus plebi. Non consulitur, non regatur. Solo obsequendi iure contenta, Summa penes Senatam potestas. Sancit leges, pacis bellique

tempora ordinat. Foedera pangit, inducias facit, vitae, mortis, rerum in suo territorio omnium arbitrium habet. Imperium Principatu temperatum non agnosco. Multo minus dabo regimen optimatum populi iuribus immixtum. Falluntur, qui imaginem pro re, umbram pro corpore venditant. (5)

(5) *Nobilium a primo Urbis natali libertas viguit. Populus ad ardua imperii nunquam admissus. Laxo nimis loquitur Contarenius. Hunc sequuntur alii. Itali iuxta et Germani. V. Cass. Ens th. polit. Ap. 4. Nec vestigium apparet formae mixtae, praesertim eius, quae diversas colligit species. Paucorum regimen deprehendo. Nil praeter illud. In Senatum recipitur nemo, nisi patricii Vir sanguinis. Nec ad senatum, nec ad Comitia aditus plebi. Dicere sententiam Princeps potest, non statuere. Statuit autem Senatus. Palam ergo est, nullam hic formarum civilium esse compositionem. Esse contra regimen purum, simplex, non coagmentatum ex diversis. Ex capite praecipuum Civiliam forte sic colligam licet. Aristocratia respicit paucos, quatenus optimos: Oligarchia, quatenus ditissimos. Haec constat Veneto Regimini, non illa. Exemplum in concilio Rogatorum est. Huic adhibentur Patricii, non quatenus Virtute valent, sed sumptu. Non quod existimem, hos expertes Virtutis. Sed quia subtractione Virtutis non admittuntur, non alleguntur. Et sunt, qui inde male ominentur Venetis. Metuendae enim conversiones, si paucae familiae excludant reliquas, ut nil deferant aliis, omnia retineant sibi. Sed de hoc monitum satis. Iam restat dispiciamus, qualis sit ille Oligarchiae status? Dixerim simplicem. Negaverim mixtum. Sed velim hic, distinguatur arduum Reipublicae munus ab imperii iure, administratio a Maiestate. Dicit, decernit Consilium Decem. Nomine suo? An alieno? Proprio iure? An tradito? Unde tradito? A consilio magno: a collegio Senatus universim sumpti. Sed sunt consilia diversa. Iubent, statuunt, ordinant. Titulo Maiestatis? An concessionis a Maiestate factae? Sunt in Imperio Germ. Collegia, consilia distincta. Eorum tamen, quatenus a Caesare distinctorum, individua Aristocratia, individuum decernendi, ut loquimur, ex semise ius est. Sed redimus ad Venetos. Et una redit Oligarchia. Adsciscuntur in consilium magnum Nobiles. Praeter hos nemo. An optimus sit, nil refert. Modo Patricius sit. Patriciorum cum, primario indulgere commodis suis. Secundario plebis. Plebem etiam simulacris quibusdam demereri. Leviora quaedam munera huic concedere. Ardua illa, et in quibus Imperii nervus, servare sibi. Contareno in hac parte non ausim adhibere fidem. Hoc minus, quod assent mixtionem status popularis et regiminis optimatum. Eadem iudicandi solertia, quae alibi ius magistratum divisum appellat. Sed salva res est. Altior civilium intellectus rerum destituit virum. Interea saluum hic cuique iudicium esto. Meum mihi.*

§. XVI. Processimus usque ad Senatum. Instandum coeptis. Persequendum iter. Eundem in Concilia, veniendum ad Magistratus est. Ordinarum Concilio Magno. (r) Hoc Reipublicae fulcimentum est. Eminent inter Consilia, vindicatque sibi potestatem summam. Eo conveniunt Patricii universi: saltem conveniendi ius habent.

benit, Nectamen ruere huc, aut intrare, cum libet, concessum. Aetas requiritur matura. Hanc definiunt Leges. (u) Quinqve et viginti anni sufficiunt. Hos si excessit, statim audit Candidatus, Mox Collega ex Candidato. Sed familiam, imagines, insignia ostendenda in antecessum. Si ostendit Candidatus, sorte assumitur, iudicio probatur. Adeo hic irrepere non licet. Quin expectanda sedes, priusquam occupetur. Occupanda, cum sinunt leges.

(c) *Vernacula Venetorum, Gran Consiglio, effertur. De quo recte Sanfovinus, Et tutto composto dell' aggregato di Gentiluomini Vinitiani. In libr. inscrip. del Governo della Rep. Vinit. Contareno uniuersus Civium (proprie dictorum) conventus est. De Venet. Rep. l. 1. Atque is sive praesidium, seu basis vasti illius corporis potest appellari. Nam exinde spiritum ducant reliqui Magistratus, et leges vim accipiunt suam. Consistentes Contareno et vere pronunciat, ex eo pendere totam Rempublicam. Nempe hoc est, denotare Regimen Optimatum Venetorum. Denotant vulgo sub titulo signoria di Venetia. Ad ultimum noto. Qui Comitiam maiora dicit, Consilium hoc Magnum dicit. Hoc legentibus Bemum, aliosque facile observandum.*

(u) *A legibus indulgentia saepe relaxat. Nam et Vicenarios admitti, probare ex Sanfovino est. Add. Mercurius Italicus in Venet. pag. 33. Contareno loc. cit. pag. 30. 31. exponit rationem. Rationis summa. Vt fraus dolusve absint: Vt irrepere volentibus aditus intercludatur.*

§. XVII. Proferimus pedem. Discedimus ad Concilium Pregadinorum. (v) CXX. Nobiles intersunt. Ex his LX. Senatores: Senatoribus iterum sexaginta adscripti. Quicquid hic statuitur, ratum, quicquid imperatur, sanctum est. Arbitrium hic pacis et belli, exigendi census, imponendi tributis. (x)

(v) *Consiglio di Pregadi. Falso scribunt di Pregadi. Consilium Pregadinorum ex omnibus paucorum consiliis coalescit. Vid. Aut. Th. Polit. Ap. 4. Add. Sanfov. cit. loc. Aut. Gall. de la Rep. de Venise. imprimis Relatione della Republ. di Venetia, in Cod. MSP. Praeter hos Contaren. l. 3. pag. 84 seq.*

(x) *Concilium hoc recte Senatus nomine insignitur. Non distinetur Contareno, nec dissentiunt scriptores graves. Apposite auctor Gallus ait: c'est uy cy est vraiment Senat, qui se nomme li Pregadi. De la Republiq. de Venise. Atque id compendium est Concilii maioris. Qui cooptantur, ex consilio maiori destinantur Pregadino, et sorte ac iudicio probati recipiuntur. Vid. Cont. l. 3. de Rep. Venet. De numero notant hodie augeri saepe, ut augendi rationes sunt visae.*

§. XIX. Insistendum itinere. Insistendum coeptis, et monendum de Consilio Decemvirorum. Vigor huic a multis seculis idem. (y) Felicitas in sopiendis seditionibus singularis. Neque id miror. Clausos animos gerunt. Futura provident, prohibent nocitura. Verba insuper operibus, consulta factis coniungunt. Hic Principi dignitas sedendi attributa. Saepe etiam adempta. Si trahere in se vim legum, si insurgere in Senatum voluit. (z) Minime, credo, faller, qui animam Venetae dixerit

rit Libertatis. Effoetum iam diu Respublica corpus fuisset, nisi Decemviri instauras-
sent vires, et prope langvescenti robur reddidissent ac vitam. Veneratio quoque
Consilii ingens, potestas sane maxima, et, si non absoluta, absolutae tamen quan-
doque vicaria. (aa) Huius munus deliberare, quod e Republica visum, arcana Im-
perii servare sibi, servare collegio suo. Huius opus, reprimere ambitum, (bb) mo-
derari suffragiorum ius, (cc) rei maritimae habere curam, (dd) providere machi-
nis, tormentis, tormentorum praefectis, (ee) Huius in tantum religio erga Ducem,
in quantum fides Ducis erga Rempublicam.

(y) Vid. Aut. l. la. *politiq. des Venetiens chap. 2.*

(z) Extraordinaria haec potestas, et non nisi in ultimo Reipublicae discrimine
usurpata. Velut loquitur auctor Relationis Manuscriptae, in caso di grandissima im-
portanza. Litterae Consilii haec scribuntur forma, C. X. Vid. Aut. Dialog. Ital. qui
scriptorem Relationis M. S. P. saepe descripsit ad verbum. Imo nec pauca desumpsit ex
Sansovino. Caeteroquin dictorum sensus characterum patet hoc modo: Capi de dieci.
Id caput, id ducem in Concilio sonat. Gallus tamen novitius in libr. Anno 1669, edito a
se impetrare vix potuit, ut capitis honorem largiretur Duci. Polit. pag. 15. Diplomata,
quibus Reipublicae decreta continentur, hanc exhibent scripturam. Doge di Venetia.
e. con il suo consiglio di dieci. Id est. Dux Venetiarum e. cum Consilio nostro decem.

(aa) Italus scriptor novus ait. Il Consiglio di Dieci delibera con potestà asso-
luta. Sed 1. aestimat casum extraordinariae necessitatis. 2. potestatem non suo, sed
Reipublicae nomine consideratam. Si aliter sentiat, nostro iudicio perperam sentit.

(bb) P. Bembo Hist. Venet. l. 1. p. 34.

(cc) Ib. lib. cod. p. 26.

(dd) Aut. Dialog. part. 3. p. 95.

(ee) Aut. Relat. M. S. P. ubi multa extant alia. Reddam breviter. Secretae hu-
ius Consilii consultationes, aestinatae occultae, iudicia momenti maximi. Huc pertinet
ea Consilii Decemviralis cura, quae in vitandis pravi exempli moribus enixissime occu-
patur. P. Bembo H. V. l. 1. pag. 37. Nec vile illi literarum studium. Auspicio eius Histori-
am Venetam scripsit P. Bembo Vid. loc. cit. pag. 3.

§. XIX. Aperta haec Via est. Patuit ad Consilia aditus. Iam ad Collegi-
um festinandus gradus, Sic tandem procurremus ad metam. Itaque serviamus insti-
tuto, et de Collegio tradamus. Nomen habet a personis, quibus continetur. (ff)
Numerus ternarium non excedit, Quotquot inseruntur, Nobiles sunt. Virtute elu-
cento. Adeo magnus ille honos, et Reipublicae utilitate metiendus. (gg) Contra
nociturus, si venalis. Alibi necessitudo et favor: hic sola merita aestimantur.

(ff) Collegium unum. Classes Magistratum diversae. Egregium Collegio no-
men. A Sapientia inditum nomen est. Propterea Sapientum appellatur. Huius tres
Magistratus: tria quoque officia diversa. Enumerat Sansovinus. Hunc sequitur the-
sauri Politici auctor i reliqui ferme omnes. Curare tabulas, obsequare literas ad manum

Nnn nnn

iniici-

iniiciendam comparatas, ex arare diplomata, cum eundem ad regendas provincias est, incumbit sapientibus primae classis, qui Grandes dicuntur. Laborare insuper de iis, quae cum in pace, tum in bello momentum habent. Imo et scribere ac rescribere Principi, his solenne, I Savi grandi, Italia. Quidam ex Gallis explicant: I Sage de l'Escriture. Rei maritimae, negotiorumque, quae ibi eveniunt, molem sustinent Sapientes, quos moris est appellare amari. Italia Savi di mare. Alias Savi do gl. Ordini. Gallis: le Sage de la mer. Haec altera Sapientum classis. Qui continentis curam sibi vindicant, iuxtaque munitiones et praesidia pensi habent, nomen a Continente gerunt. Venetis Savi di terra ferma. Gallis iterum Sage de la terre ferme. Hic Sapientum ordo postremus est.

(gg) Ludibrium inter Sapientes, qui non sapit, qui non capit, quod est Sapientum. Laudandi Veneti, qui viros adhibent perspicaces et peritos rerum. Magna haec amoris in publicum integritas: nec prudentia minor, exuere inimicitias domi, induere amicitiam in Senatu, et vitare discordiam in media dissensione. Scilicet hoc est, se sibi, exemplo aliis prodesse. Verbo: Sanctum seriumque esse debet, quod agitur in Curia Sancti Marci.

§. XX. Exiguum est spatium, quod datur perrecturis. Proinde imitabimur eos, qui solvunt naves. His praetervehi non rarum. Modo maturetur navigationis eursus. Modo citius exponantur in terram. Idem nobis, quod ipsis delictum, portus. Praeterivimus multa, (hh) ut plura relinqueremus aliis. Multa etiam servaremus nobis. Erit forte, ut non poeniteat coepti.

(hh) Multa restabant, quae moneremus de Magistratibus reliquis, deque omnibus iis, qui sive Reip. a consiliis, sive ab officiis sunt. Persequitur haec omnia Sansoninus de rep. Ven. Post hunc Lucas de Linda de Reg. Polit. Reip. Vener.

§. XXI. Stetit Respublica, inter Respublicas Regina. Stetit Imperatrix Adriatici maris. (ii) Stetit regni insignibus evincta. (kk) Stabit, donec aeternitas rerum. Terra et mari semper potens fuit. Semper erit. Iam longo tempore sustinuit Barbaros. Vix coniuncti sustinuisserunt Reges. Cessit tandem. (ll) Cedendo victrix esse maluit, quam vincendo dare omnia in casum.

(ii) Iure sibi vindicat Adriatici imperium maris. Etiam fremente Pontifice. Occupationis, dubium, titulo, an usucapionis, an donationis, an transactionis? De postremo, et qui proximus ab hoc est, multa inter doctos disceptatio, certamen ingens. Illud vero non impedit veritatem quaesiti iuris. Eadem ratio potestatis in territorium continentis, quae in territorium maris. Hoc vero multis firmatum nominibus Veneti habent. In occupatione et usucapione non minimum momentum. Fallunt, (neque hic Grotio possum indulgere) qui negant dominii capax mare. Occupari contra posse et redigi in Patrimonium Rerum publicarum, iam dudum evicit Seldenus. Seldenus sequuntur, qui studia partium procul habent. De iure usucapionis non vacat quid addere. Id Montiorum Consensus Gentium admittit in publicis rebus. Nisi admisisset, nullum inter gentes securitatis Vinculum foret. Iaffarensur perpetuo Reges, et Regna. Tur-

baren-

arentur Principes et Principatus. Nullum humani sanguinis pretium, nullus favor esset. Hic probem, quae differuit Royus, in hoc argumento exercitissimus scriptor.

(kk) *Respublica Regia.* Hinc Regium Ius, locum inter Reges, Regumque Oratores debere sibi contendit. Regna redigit in suam potestatem. A Regnis Diademata habet. Ex his Cyprus, Creta, Dalmatia. Illa amissa: illius caput proxime ademptum. Hanc etiamnum possidet. Vid. Co. Alfons. Lofebius Italus in Comp. Hist. della Repubblica Venetia, e suoi stati.

(ll) Nondum coivie vulnus, quod ex Candiae deditioe accepit Christianus orbis. Propugnaculum quanto antebac impendio defensum, tanta iactura nunc amissum. Fati haec im fuit. Gessit bellum suo sumptu. Terra legiones, mari classes opposuit. Nil demum omisit, quo et repelli hostis, et servari castrum posset. Sed melior destinatio, quam successus: maior etiam aliquando animus, quam vires. Interim incendi furor hostis, et per clades gressari ad clades. Nullum furoris remedium, nullus cladum finis, nisi ce deret Resp. Cedere ergo visum. Cedendo consulere rebus, quaedam amittere, quaedam retinere, revera vincere. Nempe hoc mirabile vincendi arcanum est.

§. XXII. Qui mari vehuntur, opem sperant a portu. Voti compotes, aram ponunt Neptuno. Ego DEO ponam Reique Publicae VENETORVM.

§. XXIII. Destinavi aram. Habe arae exemplum, habe pietatis, Respublicae Serenissima. Imperium, Imperii Libertas, Libertatis Gloria Tuae argumenta Gentis, Exhibuisti Dominam Europae, Imperatricem Orbi. Serva Decus. Serva decoris Faamam. Res praeteritas aestima, futuras pondera, praesentes exequere. Gerant bella, qui velint. Tu exspecta. Repellere, satis ad laudem. Amorem Gallo, Honorem Hispano, Reverentiam Caesari proba. Aucta satis Respublica est. Defende auctam. Sic securitatem conciliabis Tibi, Prudentiam repraesentabis Tuis, Tuere Imperium. Tucri gloriosum, Affectare, quae non capias, intutum. Acquiesce patris. Mitte aliena. Non ausim hortari ego. Hortabitur Cameracense Foedus. Elige Duces, qui velint, quod debent, qui possint, quod velint. Instrue Praefectos Annonae, ut vigilant mature, ut consulant recte, ut dispensent liberaliter. Arcere avaritiam, obstaré avaris, imponere negotiis probos, tuae honos Civitatis. Nobilibus mansuetudinem erga Cives, amorem erga Senatores, fidem erga Rempublicam, constantiam domi, patientiam foris persuade. His rebus fiet, ut in id usque fastigium pervenias, quod decet prudentiae et aeternitatis sedem. Haec mea vota sunt. Ex votis de animo cognosce. Animi religionem intelligis. Hanc tradere Tibi, hanc tradere Posteris iuvat.

LXXVII. DE ACTIONIB. TURCARVM.

Nnn nnn 2

Impe-